(ſubdit) *attollit fluctus.* Hiſcit contumacium pectus: etenim pro contritione criminum, nix, grando, glacies, ſpiritus procellarum. Hinc querulus Ieremias, dum pervicax perſiſtit improbitas, contendens verbis & minis inducere in pœnitudinem animos; *Videte* (ait) *ſi eſt dolor ſicut dolor meus*: ſuperat enim in ampliore dolore vehementiorem efficaciam pro dolore criminum in dolorem exoriri procellam. Qui prædicat, intendit converſionem in vitæ felicitatem; & qui vitia carpit, indicat etiam in peccantes amorem; ne pereant turpi ignorantia, aut malitia, in perpetuum; qui valere poſſunt contritione, medicamine vulnerum: & non eſt dolor ſicut dolor prædicantis auribus protervis, ſimilibus æſtuoſitati ferventis maris; quippe ſi converſio cordium fulminantis conatus, nullus pœnitentiæ fructus: & ſi aliqui, prorſus fructus *feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.*

Cap. 1. 12.

Intumeſcit.

Iudæ. v. 13.

14 Quis igitur coërcuit vinculis tumidum mare? Quòcunque ſpectetur, minatur horribile. Haud aliter pectus deformatorum in iram, & in monentis procellam: igitur quanvis ſemper fluctuoſum; horribilius, quando tumidum, excitata contritione non in contritionem cordis, ſed in vulnus atque verbera medentis. En etiam cauſa perſpicua, cur etiam in Babylone medicina caſſa. *Curavimus Babylonem* (clamat idem Propheta) *& non eſt ſanata.* Nequaquàm pharmaca admonitionum abfuerunt: minimè etiam cauſtica, & anaſtomica in medelam vulnerum; ſed nihil profuit, nec illa convaluit: ſiquidem in archiatros apponentes medicamen, implacabilem pro gratia movebat perſecutionem. Quid ergo cogitandum in medicinam? ſubditur: *Derelinquamus eam.* Salutis eſt deſperatio: habeatur pro derelicto: igitur adoleſcet in deteriora malum, ni æſtimetur in bonum tanquàm vas perditum. Occurrit in exemplum prudentiæ decertatio Michaëlis & Luciferi. De corpore Moyſis iam ſepulto excitata eſt quæſtio, & *cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur; non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ; ſed dixit, Imperet tibi Dominus.* Non per ignaviam, habebat enim potentiam: & hoc fuit magni, non exercere ſcilicèt poteſtatem, & habere; ne fractis repagulis incutientibus timorem, etiam Michaëlis tereret auctoritatem; quod ſæpè uſuvenit ſubditis protervis, pravis, ſi fuerunt aliquando, ut Lucifer, Superiores. Iam enim exciderat à gratia, & è cœlo dyſcolus, qui in ruinam manifeſtare intendebat Moyſis corpus: & Michaël cum diabolo altercatur,

Si carpitur iniquitas, excitatur tempeſtas.

Ierem. 51. 9.

Ibid.

Habeatur pro derelicto.

Iudæ. v. 9.

Aliquando indulgeatur ne Superior peſſundetur.

Maximè, ſi obſtinatus.

ſed ſine contentione; quia vanum contendere cum ſpiritu deſperato ſine ſpe veniæ, reluctante pœnitudinem, & defendente totis viribus errorem.

15 *Non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ.* Difficilis textus, ni in memoriam revocetur, quod diximus *Tom.* 3. *Taut.* 10. n. 12. & *Taut.* 14. n. 2. nimirùm, auctorem operis dici, qui permittit, vel non contradicit operi. Unde ſenſus teſtimonij genuinus eſt: *Non eſt auſus permittere iudicium blaſphemiæ*, ſeu blaſphemiam in proferentis iudicium. Ecce cauſa altercationis Michaëlis ſine contentione cum ſpiritu protervo & pervicaci: igitur ſi potentia opprimeret, & audaciam protereret; frangere intendens verberibus contumaciam, etiam in Deum vivum proferret procax blaſphemiam. Nec aliter prælatis labor, dum à ſubditis defenditur error. *Imperet tibi Dominus*, dicat; eſtò pectus zelo Religionis exardeſcat: etenim potius quod zeli flammam, qui prælatus, mitiget, quàm quòd ſubditus preſſus virgis blaſphemet. Diabolus mittit in cor contumaciam, ne poſsit errans revocari in pœnitentiam: prudentiaque præſidis tunc meditanter indulgebit; quoniam deſperatus ſine ſpe veniæ, & perculſus quid non aget? Igitur ſi non habet quid lucrari, vel amittere poſsit, blaſphemabit. Ita fervet, ita furit.

Auctor dicitur operis, qui opus permittit.

Non utatur Superior poteſtate in deſperatione ſubditi.

Dentibus infrendens gemitu, graditurque per
æquor.
Clamorem immenſum tollit: quo pontus, & omnes Virgil.
Intremuere undæ, penituſque exterrita terra.

Ut ait Virgil. de Polyphemo lib. 3. *Æneid.* verſ. *664.*

16 En ſtatus perplexitatis in præſide, quem tenaciter mordet Religionis zelus, & anfractuoſus viſcera pungens articulus; ad quem non ſufficit homo de cœlo delapſus. Si indulget, vergit audacia in maiora; quia diſsimulatio ducitur uti licentia. Si gladius poteſtatis ſtringitur, perſecutio in gladiantem commovetur. Si ſuperior fulminat, ſubditus iacula vibrat; & ſi opprimitur, blaſphemat. Infelix homo! Iurè mari fervido ſimilis demonſtratur horum contritio; quoniam procellam minimè iracundia placat, quouſque motorem uſque in profundum demergat. Audiatur in acumen Rupertus hìc cap. 48. *Cui comparabo te, vel cui aſsimilabo te filia Ieruſalem? Nunquid Ninivitis? Non utique, nam pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ. Nunquid Tyro, aut Sydoni? Non utique, nec enim facta, aut dicta ſunt in illis, quæ facta, & dicta ſunt in te. Tui ergo quis medebitur?* Non

Quando ſtatus perplexitatis in corde Præſidis?

Rupert.

profectò ipſe ſi de cœlo venerit medicorum medicus. Magna eſt velut mare contritio tua: & quicunque accedit ad medendum, perſecutionem, & ipſius mortis patitur naufragium.

17 Nihil mirum, quòd miretur Vates medicum, qui accedere non vereatur in huiuſmodi ægrotum & freneticum. *Quis*, exclamat, *medebitur tui?* Quantum ægritudinis, ubi invalidus etiam archiater cœleſtis? Profundum utique in viſcera virus, ſi nihil valet medicorum medicus; & refugit ſalus, dum ſine virtute medica omnimodò virtus. *Dici de malis* (inſit Delrius hic *Adag.* 878.) *qui in medicos ſpirituales inſtar freneticorum furunt*: igitur pro ſalute, quam conantur in auxilium; velut mare fluctus inſtruunt in medicorum naufragium: nulluſque inter inveniendos invenitur, qui freneticis medeatur; quia nemo vult gratis prodigere vitam, & videre diſpendio vitæ deteriorem animam. Faceret, ſicut fecit ſumma charitas, verùm prævaluit infirmitas: renuiturque pro ſalute conatus, quia nullus ex tan pretioſo medicamine fructus; cùm vita medici pereat, perſiſtente errore, vulneris voluptate, languoris dulcedine, exceſſuum prurigine, & peſsimo ulcere ſine ſpe reſipiſcentiæ. *Quis medebitur?* Immedicabiles fiunt, indigni miſeratione: etenim licèt charitatis accedat auxilium, nihil utique ſupra improbitatis ingenium; quia deteriora ſubit, & ut mare nunquam quieſcit: fit igitur ſicut mare contritio, corde procelloſo, moto tùm in elationem ſuperbiæ, in ſalſuginem iracundiæ, in amarorem invidiæ; tùm in procellas arrogantiæ, altitudinem inſolentiæ, profunditatem aſtutiæ, quibus nati in hominum perniciem, ut obſervantiam exterminent regularem. Fortiter utendum loris, quæ medicina freneticis: etenim indulgentiâ, ut canit ubi ſupr. Claudianus verſ. 124.

Ibid.

In ægritudinem conſummatæ pravitatis, nec medicus cœleſtis.

Delr.

Medicamine deterior.

Claudian. *——Rueret deriſa vetuſtas,*
Nullaque calcati ſtarent veſtigia iuris.

DIDASCALIA V.

Improbis nulla medicina, niſi pœna.

1 HAud dubium in horum medicinam, neceſſariam omninò prudentiam; igitur ut canit Ovidius de *Remed.* lib. 1. verſ. 123.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tum, cùm ſua vulnera tangi Ovid.
Iam ſinet, & veris vocibus aptus erit.

Tunc eſt æger medicabilis arte, ſi ars interſit in uſu medicinæ: equidem inſtandum opportunè & importunè; ut per pharmacorum efficaciam & medici artem, redeant in ſaniorem mentem. Non deſperet pœnitentiam dicatque:

Opportuna ſit crimini medicina.

——Satis eſt, gentem effugiſſe nefandam. Virgil.

Quippequàm non ſatis fugere, dum incumbit ob munus ægros curare. *Malorum ſerpentium & aliorum animalium, quibus mortifera vis ineſt* (ait Stoicus lib. 2. *qq. nat.* cap. 31.) *cùm fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur. In venenatis corporibus vermis non naſcitur: fulmine icta intra paucos dies verminant.* Apparet tota ſcena ſipario rupto, ſi ſpecies tragica obijcitur in theatro: ſiquidem ſi adinſtar venenatorum ſerpentium corda improborum; modò fulmen vibretur, omne venenum abſumitur. Iam diximus, rebelles ictos, ex putredine verminare, ſanie lethali ſcatere, & contra naturæ propoſitum, quo vermes denegavit, ubi venenum. In venenatis vermis non naſcitur: idem in virulentis hominibus, ruptâ conſcientiâ, videtur. Nullus ex pravitate morſus, nullus animæ ex ſceleribus ſenſus, ob rationem criminum hyoſciamo ſopitam, & carcinomate cauteriatam putrem conſcientiam. Unde fulmine quati, angi, atque percuti oportet; ut excuſſo veneno ratio in pœnitentiam verminet: etenim ſcelera moliuntur pravo corde, quia in illo nullus, vel levis vermis conſcientiæ. De Hydra, triumpho virtutis Herculis, fictum non ſatis in interitum gladium, quia reſecto uno, ſeptem pullulabant capita, quouſque igne cauteriata vulnera. Unde Seneca in *Agamemn.* verſ. 831. ſuccinit:

Senec.

Pro medicina confugiendum alloràa.

Nullus ex pravitate conſcientiæ morſus, nec menti ſenſus

Morte fœcundum domuit draconem, Idem.
Vetuitque collo pereunte naſci.

Igitur haud extingueret Hydræ vulneratæ conceptas, ni adhiberet vulneribus urentes flammas. Pectus protervi, maximè ſemel indulti, Lerna malorum, caputque fœcundum, quòd quidem uti vulnus immedicabile non tantùm recidendum enſe, ſed etiam igne, fulminante poteſtate, ut non verminet in noxam, vel conſcientià vulneratà verminet in pœnitentiam.

Pravus eſt Lerna malorum.

Utile propoſitum eſt ſævas extinguere flammas, Ovid.
Nec ſervum vitijs pectus habere.

Ut monet etiam Profanus lib. 1. de *Remed. amor.* verſ. 53. Cuncta ſanè tentanda, & extin-

extinguenda : ſiquidem iterùm & iterùm repullulabit venenum,ſi aliquà videt vel rimulam in effugium.

2 Magnum intercedit diſcrimen inter calvum & calvum, mundum ſcilicèt & leproſum. *Vir* dicitur , *de cuius capite capilli fluunt , calvus & mundus eſt.* Quomodò mundus , ſi capilli per lepram fluunt ; & leproſus eſt calvus? Calvo in munditiam fluunt capilli ſiccitate , calvo in coinquinamen effluunt capilli lepræ putredine : providente naturâ nuda capita ; ut appareat immunditia , & non evaneſcat pœna : quandoquidem in effugium concedetur , qui lepra laborat, neque pilus , quem apprehendat. Dialectus noſtra eſt : *Ni un pelo.* Altiſsimo acumine, verbis in contraria glomeratis , expreſsit Doctor Doctorum SS. Benedictus. Ita præſidem alloquitur *Regul. Sanct.* cap. 2. *Neque diſsimulet peccata delinquentium ; ſed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalent, amputet.* Prævalentia haud competit criminum ortui , ſed per inolentiam pravæ virulentæ conſuetudini : & copulat peccatorum initium , & progreſſus incrementum ; quoniam , quouſque prævaleant , perſiſtent , ſi ſemel cœperint. Magna ſolicitudo ineſſe debet in extirpationem , ne levis favilla flammeſcat in ignem , qui abſumat ſubitò cunctos : dicitque meditanter , quòd mala evellantur & *radicitus* ; quoniam erumpet in flammas , ſi ſit radix ſursùm germinans,cùm capita vitiorum adinſtar hydræ prævaleant, dum diſſecta etiam repullulant. Hinc penes articulum differentia pili , ut præſul conſulat cautionis utilitati. Pilus ſignificat quid futile à pelle productum : pilum ſignificat lanceam , vel telum. Unde illud Lucani lib. 1. *Pharſ.* verſ. 7.

Levit. 13. 40.

Illi claudatur effugiũ.

S. Bened.

In illo ortus criminũ computandum incrementum.

—*Et pila minantia pilis.*

Lucan.

Ferè vox unica eloquio , & ſummè diſita utriuſque ſignificatio ; verùm in Præſide ex criminum indulgentia , apparent ſimul tanquàm effectus & cauſa : igitur ſi protervis prætermittit ductas pili leviſsimas corruptelas ; prævalentes in vitijs torquebunt lanceas , ſtructa machina teli, ex momento tantùm pili; quoniam nimis audacter,

Ex pilo formabit telũ.

—*Hæc , quæ fecere , tuentur.*

Ovid.

Ut infit Ovidius ubi dudum, verſ. 137.

3 Eapropter Archimandrita N. Benedictus , ubi ſupr. infit : *Improbos autem , & duros corde , ac ſuperbos , vel inobedientes, verberum & corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat , ſciens ſcriptum : ſtultus verbis non corrigitur.* Qui dociles , corriguntur ſuaſionibus , qui improbi & duri verberibus , & acribus: ſiquidem aſinis ſimiles , nec curant onera, & aliquando nec verbera. Iccircò dicit peccator : *Verberaverunt me , ſed non dolui : traxerunt me , & ego non ſenſi.* Non eſt ſenſus , ubi ex paſsione non dolor , quod frequenter influit furor: & arcendi ſunt flagris , tunſionibus & acrioribus ; ut ad dolorem ex vulnerum & plagarum dolore reddatur ſenſus. Vulnera vulneribus medicanda , quippe nulla proſunt vulneribus altis verba. Ideo ſubdit : *Stultus verbis non corrigitur.* Quod Salomon: *Doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Verba audiuntur , vel non audiuntur : flagra autem corpora ſentiunt : & impij corripiendi in correctionem minimè verbis , ſed flagris ; quia minimè ſentiunt , niſi ſuaſione doloris. Flagellandum eſt corpus , ut in ſaniora revocetur animus : apponunturque vulnera pro medicamine , ut ſit dolor ex dolore : ſiquidem ſi verba tantùm Superiores fulminent, profusè rident , nec dolent. Verba diriguntur in mentem pro converſione , ut ratio devia conformetur legi : unde verbera ſolummodò medicamina , dum riget ad correctionem protervia ; quoniam improbi ad erroris pœnitudinem , ni veniat per dolorem , nec habent mentem. Non tantùm exhibenda cura de verbere pro dolore : etiam curandum de tempore , ut non abſiſtat in ipſo initio peccati : ſiquidem ni compeſcantur initio ; indulgentià fovetur prævaricatio, & prævalebit iterùm legum latarum tranſgreſsio.

S. Bened.

Similis aſino.

Prov. 23. 35.

Nec dolet de crimine, nec de verbere.

Ibid. cap. 1. 7.

Inducatur ſenſus menti, ſenſus dolore.

4 In malevolam animam non ingreditur ſapientia correctionis , nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis : *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ , &* (pro *ſed* ut ſæpè alibi) *non liberabit maledicum à labijs ſuis* : igitur hic maledicus , quoniam ille benignus. Occurrit illicò quæſtio. Si ſpiritus qui benignus , uti clemens & miſericors, plurima indulget ; quo pacto peccatori maledico minimè parcit ? Quia pepercit. Fragilitati indulgendum , equidem homines proni conditione in lapſum;à quo,ſi dociles, revocantur verbis : & qui benignus nullo modo parcit flagris; igitur protervus reſipiſceret in optatam pœnitudinem , ni fuiſſet expertus priùs ingenitam pectori benignitatem. Patet quanti reputanda cordis iniquitas , ſi errori accedit inflexibilis protervitas: ſiquidem ita creſcit ſcelus , ut caſtiget patrata , qui benignus. *Maledicum* ait : Lorinus, *Blaſphemum.* En virtus legis , etiam in tribunali clementi benignitatis , iam calcata diſsimulatione, deploſa pietate, ut ſpe veniæ ſit pertinacia in errore ; vel aliter relinquatur impunis , ne blaſphemet corripiendus , ſi

Sap. 1. 6.

Et *pro* ſed

Recrudeſcit benignitate.

Lorin.

Clementia quando ultrix?

tun-

tunſus pœnis : & pertinacem , qui benignus, non liberat , imò crebris verberibus gravat; ne concedatur effugium , dum intenditur remedium : igitur iuxta leges infert obſtinato plagas; quantunvis præcognoſcat erupturum in blaſphemias.

5 Aptiùs ergo ex contextu Didaſcaliæ propoſito. Non parcit benigniſsimum Dei pectus , dum occurrit delinquens obſtinatus; ut diſcat iudex quando in benignitatem , & quando ſine pietate procedere opportet in rigorem. Aliter iudicandus, qui cognitionis criminum , ni ultrà tranſgrediatur , capax; & aliter errorum cognitor,ut ultrà procedat, pertinax : ſiquidem hic duro corde , ni corripiatur , *corripietur à ſuperveniente iniquitate.* Quantum capio, quantum ſapio. Quid eſt hoc ? Abuſus relaxationis , diſsimulatione præſidis in delinquentium proterviam, renuentium etiam accipere diſciplinam.Aliqui impià miſeratione commoti , conſulunt iniquorum indulgentiæ , qua in ampliora fovent audaciam , nullam ex criminibus reformidantes pœnam ; quæ inferri in ipſo debent peccati initio: quandoquidem ſi præcogitatur imprudens diſsimulatio , placidique pectoris verborum ſolummodò lenitas ; iniquitati ſanè ſuperveniet iniquitas. Ferro & igne decertandum cum huiuſmodi monſtris, ſerpentibus , draconibus , hydris , ſine memoria pietatis ; ut ſeſe conſiderans ſine effugio , qui tumidus , impunè cadat animo, iniquitates cognoſcat, & licèt ſerò uti Phryges , verbere indeclinabili ſapiat , doleat & reſipiat : equidem ſi ſuavitate ducitur (cùm verbis ſtultus non corrigatur) & ob primam & ſucceſsivam iniquitatem ceſſant verbera; corripietur ab iniquitate abſdubiè superventura ; quapropter , qui benignus in malevolum invehitur ; ut dum de errore corripitur, ne ſuperveniant quæ ventura , corripiatur. Aliqui paſsivè accipiunt correctionem , in ſpiritu qui expreſsit benignitatem,id eſt, triſtitiam , ob prævalentem in peccatore proterviam. Vide Ianſenium & Hugonem hic. Haud impropriè, ut præſes benignus ſtudeat iuſtitiæ. Si peccator maximè relapſus non corripitur;iudex ſuperventuram iniquitatem patietur : igitur fiduciâ indulgentiæ , & fretus benignitate , vulnere ſuper vulnus Superiorem pravus conſcindet , & ſuper dolorem vulnerum etiam addet ; quia impunitâ malitiâ,vulnera multiplicavit,vel ſine cauſa *Mucro mucro , evagina te ad occidendum* ; ſiquidem dedecet pietas erga venena reptilium.

Ibid. v. 5.

Ni illicò compeſcatur protervitas, deterior ſuperveniet iniquitas.

Indulgentià multiplicantur crimina

Ezec. 21. 28

Te quoque iam timeant , admirenturque nocentem,
Quem ſprevere pium.

Claudian.

Ut accinit Claudianus lib. 2. in *Eutrop.* verſ. 227.

6 Videtur profectò tantus rigor inhumanitas , cùm commendet iudicem æſtimabilis benignitas. Reſpondet Stoicus ; ſed priùs promam proprium iudicium : utinam falſum! Quandoque videntur indulgeri gravia & graviſsima , iuſtitiâ undique vulneratâ ; quia Superiores eiuſdem farinæ , aut furfuris ; ut indulgeantur exemplo , quando fuerint inferiores. *Otiosè vides , ſed non otioſè videris* (ait Bernardus de *Grad. ſuperb.* cap. 10. num. 29.) *curiosè ſpectas , ſed curioſiùs ſpectaris* : equidem criminum communione fiunt canes muti non valentes latrare. Mali malè ſunt perdendi , quia ſemper mali : nec congruit ſervare in aliorum perniciem , quos fovet crudeliſsima pietas in perditionem. Appoſitè Auguſtinus ſerm. 204. *de Tempor.* infit: *Diſciplinam pacis non receperunt ; ſed ita in malis perſeverarunt , ut ſibi de medicamentis vulnera facerent: & inde acquirerent mortem , unde poterant obtinere ſalutem.* Medicina ſignatur ab Hippocrate lib. 6. *Aphoriſm.* 10. *Capite dolenti , & vehementer laboranti , ſanguis efluens morbum ſolvit.* Furioſi ſunt ægritudine conceptâ , tabeſcunt corda , vehementer laborant capita : ſananturque huiuſmodi deliquia rationis , ſi ſanguis virgis mittitur uſque ad deliquium ſanguinis.

Unde pravà diſſimulatio Superioris?

Bernard.

Auguſt.

Hippocr.

Pravus coërceatur verberibus.

—*Donec ſuccis , herbiſque ſalubribus ullus*
Eſt locus, & morbo ſupereſt ſpes ulla medendi;
Non flammà , aut ferro laceret crudeliter artus:
Sed deſperato tandem putredine tabo
Membra ſecet: ne fortè gravis contagio ſerpat
Longiùs, & ſanas vitiatis partibus addat.

Canonh.

Ut ſuadet Canonherius in 1. *Aphoriſm. Hipp.* lib. 1.

7 Aſtipulatur beneficio humanitatis Seneca , ut floreat reſpublica ſine inclementiæ nota. *Eſt enim* (ait lib. 2. de *Clement.* cap. 5.) *vitium puſili animi , ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis. Itaque peſſimo cuique familiariſsima eſt.* Nota ad præfata num. antec. *Anus & muliercula ſunt, quæ lachrymis nocentiſsimorum moventur; quæ , ſi liceret , carcerem effringerent* (Non muliercula , etſi anus , erat Diva Tereſia, quæ etiam minorum culparum indulgentiam dicebat *Crudeliſsimam pietatem* : ſicut arcere *benigniſsimum rigorem.* Vide tam in *Fundation.* cap. 7. quam in *Ordine viſit. Ordin.*) Rationem ibid. cap. 7. oſtendit Stoicus. *Ergo ut breviter , tanquàm in alieno iudicio dicam : ei ignoſcitur , qui puniri debuit. Sapiens autem nihil facit , quod non*

Senec.

S. Tereſ.

Neganda eſt venia, ut extirpetur culpa.

G *debet* ;

debet: nihil prætermittit, quod debet. Itaque pœnam, quam exigere debet, non donat: ſed illud quod ex venia conſequi vis, honeſtiore tibi viâ tribuit. Parcit, conſulit, & corrigit. Idem facit, quod ſi ignoſceret, nec ignoſcit; quoniam qui ignoſcit, fatetur, aliquid ſe, quod fieri debuit, omiſiſſe. Senec. Neganda eſt venia, ut abſtergatur culpa vultu legis, minimè acore pravæ affectionis, ut fecit Fridericus I. cum quodam ſcelerato, quantunvis ſupplice lachrymabundo, ut floridè ſuccinuit Guntherus lib. 1. de *Factis Frider.*

Non odio miſeri, ſed ſtricti iuris amore,
Exemplique loco, ſeſe feciſſe, fatetur.
Gunth. *——Plus ſæpe nocet patientia Regis,*
Quàm rigor: illa nocet paucis: hæc incitat omnes,
Dum ſe ferre ſuos putant impunè reatus.

8 Ampliorem, clementiorem Imperatorem, ac iudicem, pro lege fracta habemus ſuffragatorem. In cruce pendebat, & latro punctus corde clamabat: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Luc. 23. 42. Confeſſus eſt pectore contrito culpam, & admiſſus eſt in iudicis gratiam. Levis utique videtur condonatio, ubi nihil actum de ſupplicio, fovente divina gratiâ patientem, & favente miſericordia in dolorem: maximè dicente ſocio, cui libertatis ſpes; *Salvum fac temetipſum & nos.* Verſ. 32. Ecce articulus potioris benignitatis, in ſpecie fucati tantùm rigoris. Nonne pœnitet? Profectò: & corde ſaucio, præ dolore ſciſſo. Ubi igitur miſeratio? In corde iudicis, inferentis pœnam pro fractione legis: igitur ex pœnarum tolerantia, cognoſcitur, an vera ſit pœnitentia. *Ex pœnæ tolerantia innoteſcit, an vera pœnitentia.* Hinc illius qui ægrè tormenta ferebat vox contraria, ut ſalvus fieret in perditionem; ſiquidem libertatem quærebat, in ampliorem peccandi libertatem; cum nihil vel ſceleſtum non aggreſſurus, quia ſuſpenſus è cruce ſemel ereptus: minimèque liberat, imò ſupplicem propter cruciamina damnat, ne noceat amplius, qui in tormentis acerbis etiam protervus, quin per torquentem dolorem, in meliora revocaret mentem & indolem. Pœnitebat cruciaminis, nequaquàm criminis, clementer dictante iuſtitiâ quicquid latum in ſententia: quam certocertiùs ſi leviter pietas remitteret, qui multandus exitio, peior evaderet. *Solicitatur impunitas, ut ſit peccandi libertas.* Dum nihil remittitur cauſæ, nihil remittatur pœnæ; quia effrænatus furor alitur impunitate. Unde dum criminum, & ſcandalorum impunitas, quæ videtur compaſsio, patet crudelitas; quippequàm nulla maior, quàm belluam ali, aſpidem foveri in notam perniciem, ac hominem moribundum contemplari impœnitentem. Parùm utique abhorrebat ab iniquitate, qui duro corde nec reſipiebat in cruce.

9 Cauſam eandem aliter habebat alius latro, qui eodem multatus ſupplicio. Abijt deſperatus ille: hic verò patitur compunctus corde. Digna factis recepiſſe cognoſcit, non pro pœna, ſed pro anima ſupplex accedit, clamat pro remiſsione criminum, nequaquàm pro levamine dolorum, iudicis obteſtans innocentiam, iniuſtam cauſam, ſuam iniquam, & demonſtrans pœnitentiam, non tàm guttulis ex oculis, quàm cordis lachrymis. Et tamen non parcitur? Non. Diſcite quantum gravamen iniquitatis, dum permittitur premi, qui in gratia iudicis. Clavis in cruce pungitur, conſcientiâ compungitur, reſipiſcentia cognoſcitur; & tamen patitur. Iurè, & in bonum patientis, ut liberetur pœnis à ſummitate doloris. *Quæ videtur auſteritas, eſt benignitas.* Unde quæ in iudice videbatur auſteritas, clementiſsima effulgurabat benignitas; quippe cognoviſſet minimè culpam, niſi tuliſſet, atque pertuliſſet pœnam. Pœna uſque in mortem inſtabat, dum magis per pœnam, criminum pœnitebat; quæ quidem illi videbatur levis, præ dolore ſaucij cordis, ex maieſtate læſa, quæ pendebat etiam in ſtipite ſine cauſa. Intimè viſcera pœnitentis torquentur, ſed funes tormentorum non laxantur, imò premunt arctantes uſque in mortem. Quis crederet in amante tantam auſteritatem? Qui amantem cognoſceret, ut amantem cogitaret, dilectum premere, ne poſſit ſine dolore perire: igitur ſi levis pœna, & non mordax medicina, forsàn fervor elanguêret, & à propoſito ut debilis reſiliret. Uſque ad articulum mortis, & etiam cruribus fractis; ut quem urgebat in crucem anteacta furacitas, abſiſteret regrediendi poſsibilitas. Uſque in mortem, ut poſsit inamiſsibilem nanciſci ſalutem; ne conceſsâ pœnæ veniâ, vel tantillùm à pietate, remiſsâ; ſpe præconcepta ex toto, qui percuſſus altè ex animo, paulatim pœnitentiæ pœniteret, & reſipiſcentiæ tandem reſipiſceret. *Torquentur pœnæ funes, ut perſiſtat in finem cõtritio cordis.* Uſque in mortem, ut iudex oſtendat ex afflictione pietatem: quandoquidem gravis culpæ levi pœna, liberat pœnitentem à pœna & culpa. Uſque in mortem pro pœnitentia finali, ut ſit ſalus in fine, & victor evadat in tribunali ex criminibus obiectis, ubi iuxta amuſsim legum arctè librantur actiones: igitur ſi iuſtitia, ut puniat, invenit culpam; ut remittat, aboleat, videt etiam pœnitentiam.

10 Aliquibus falſa pietate uſque in mortem in crimina terror, videtur horror vel furor. Falluntur pietatis ſpecie, & crudeli

deli compaſsione, animæ abiecta ſalute: etenim magnis criminibus inveniuntur in divino tribunali, ſine ſigno aut veſtigio pœnitentiæ. *Qui indulti ſemel, nunquam pœnitentiæ ſtudent.* Quia oſtendunt, & fingunt mœrere, non liberantur, ſed abſorbentur à morte, dum educuntur è carcere, ut graviora adoriantur, & nunquàm ſatis correpti emendentur: ſiquidem lachrymantes non plorant culpam, ſed criminum pœnam; quam ſi effugere poſſent, peiores eſſent. Videtur pœnitentia Benadad coram Achab peſsimo rege Iſraël: quandoquidem in fratrem recipere non erubuit, quem ob crimina crebra ſuſpendere in ligno debuit. *Si adhuc vivit, frater meus eſt.* 3. Reg. 20. 32. Quàm indigna Regis vox! Solutus minimè pepercit regno. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo. Non cavit, & iurè perivit: ſiquidem illi intulit necem, quem recepit uti fratrem. *Crudelitas, dignũ morte eripere à nece.* Extrema mala curanda extremis remedijs; nec pœnæ ſatis, ubi vulnus compaſsionis; quippe ſi planctus, eſt fictus; ſi dolor, fucatus: humiliatio ex timore ſupplicij, ſubiectio ab humiliatione: cogitatio in verſutiam, pectus totum in fallaciam, qua vel flagris corpus cæſum, iniquitas eius invenitur ad odium. Apparet ſimplicibus oculis ſine reſipiſcentia pœnitudo, accedit commiſeratio: & ille vultum conſiderans in veniæ ſpeculo; quia fatuitas ſine reflexione parcit, ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit.

11 Ne obliviſcatur, aſtruit ex Paulo Benedictus quid faciendum. *Tradite huiuſmodi hominem ſanatæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini.* 1. Cor. 5. 5. S. Bened. Ita cap. 25. *Regul. Sanct.* Dummodò reſtituatur in articulum ſalutis, quid quòd detur in interitum carnis? Imò vulneribus, plagis trucidandum corpus, ut è ſopore criminum evigilet animus, ac in iudicio, ſi occurrit iuſtitiæ culpa, obijciatur etiam in pietatem pœnitentia. *Salus animæ ex corporis vulnere.* Solemnia verba in tribunali ſunt, necdum comprobatâ causâ, *Sequatur. Que ſiga.*: Vernaculè. Ita iuſsit Dominus è cruce latronem ſequi crucem & uſque in mortem. Quid faciendum à iudice innoteſcit, cùm ita Dominus pœnitentem punit: igitur pœnam aggravat, afflictionem continuat uſque in interitum carnis ſublatæ in crucem; etiam videns pœnitentis eſſe veram contritionem. *Peſsimus, ſi non perit, peribit, & alios perdet* Quomodò denuò indulgendum, quod prævaluit deterius, ſemel indultum? Satanæ igitur in interitum carnis tradendus protervus, ut ſpiritus ſit ſalvus: ſiquidem peribit, ſi non perit. *Apparet* (inquit Caietanus) *hanc fuiſſe vexationem corporalem uſque ad mortem.* Caiet. Ita protrahitur? Iurè, licèt ex toto corde humilietur: igitur ſæpè in obſtinatis falſa humilitas; ut ſit è cruce libertas, caſſo propoſito inſipientis pietatis; quoniam in corde nec veſtigium contritionis. *Ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini,* ſubiungitur. Dies Domini magna & amara valdè. Ibi diſcutiuntur acta, ibi corripiuntur crimina: & datur ſpes ſalutis, ſi traditur relapſus in interitum carnis: quandoquidem ſi iuſtitia digladians perſpicit crimen, intuetur quoque criminoſum pœnitentem.

12 *Nihil deterius* (dicebat Diva Tereſia, ubi ſupr. in *Mod. Viſit.* in princ.) *quàm perlatus, quem ſubditi non verentur: igitur ſi præſumitur lapſus indulgentia, & inſtabilitas præ ſubditorum triſtitia, regimen ſanè difficile, prolabente Religione, quippe ſeſe cogitant ſine capite.* D. Tereſ.

——Maieſtas regia iuſti
Semper terribilis, ſemper metuenda, ſuoque Gunth.
Plena vigore manet, nullique impunè premenda
Creditur & ſemper cunctis, & ubique timetur.

Neceſſaria iuſtitia, ne ſint ſcelera. Ait Guntherus in *Ligur.* lib. 5. Nonnunquàm in ſerpentes gladius ſtrictus; ut illis pœna in ſupplicium, verùm alijs in exemplum. Sequantur crucem, ſequantur vexationibus cauſam, & uſque in carnis interitum pœnitentiam. Haud aliter congruit: *Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit:* Prov. 19. 25. nec cor erit tranſgreſsionibus tabeſcens, pacem peccatorum videns; de quo *Tautol. ſeq. Didaſc.* 1. Ut ædificarentur muri Ieruſalem; 2. Eſdr. 4. 17. & regnaret iuxta nomen vera pax, *ædificantium unuſquiſque una manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.* *Vitij deſtructio nunquã ſine gladio.* Obſervantiæ ædificatio eſt malignantium deſtructio, quæ neutiquàm obtinetur ſine gladio. *Credite mihi* (ait Bernardus ſerm. 58. in *Cant.* num. 10.) *putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe: ſæpè putandum eſt: imò ſi fieri poſſet, ſemper; quia ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſsimulas* (imò ſi diſsimulas) *invenis.* *Peſsima & exitialis diſſimulatio.* Nequaquàm, ne ſint nequam, diſsimulandum; neque in parvis, quippe pravis indulgendum; ſed evaginandus enſis, ne ſerpant venena malignitatis.

Utque malum latè ſolet immedicabile cancer Ovid.
Serpere, & illæſas vitiatis addere partes.

DIDASCALIA VI.

Sublevatio inopis eſt gloria benefactoris.

1 LOngè ab elevationis huiuſmodi gloria diſtat inſaturabilis parca prorsùs avaritia; quæ quidem dum magis divitijs eminet, ipſo pondere corruit. *Quid* (ait Euripides in *Iphigen. in Taur.* verſ. 412.)

Avaritia, ſibi pernitioſa.

Avarum certamen
Augentes ædibus!
Dulcis enim ſpes
In perniciem mortalium:
Inſatiabile hominibus
Divitiarum onus.

Eurip.

Aptè *onus*, quoniam animam, pluſquàm corpus premit, atque poſſeſſor ſine poſſeſsione ſuccumbit. *Omnia* (ait Seneca lib. 6. de *Benef.* cap. 3.) *aut hoſtis illa, aut hoſtilis animi ſucceſſor invadet.* Quid ſtatua, aurum cuius caput, argentum brachia atque pectus? Lapillum offendit, metallorum pondere corruit, imò evanuit; quia orbis opes non tantùm ludibria ſomniantis, ſed reapſe rediguntur in cineres. Caput aureum, pedes fictiles. Per pedes ſignantur pauperes: ſtatuaque levi motu deſtruitur, pretioſa male proſternitur; quoniam aurei capitis opes derivare debebat in imos pedes. Fictilis ſanè pars pedum ima, dum pectus & brachia argentea; mutato metallo in pectus, ubi eguit inops: igitur hic non ſuccumberet, modò princeps in pauperem pectus ferreum non haberet. Cuncta principalia membra deſcribuntur in ſtatua, ſed manuum nec fit memoria. Quid mirum quòd ex argenteo in ferreum mutetur pectus, ſi ad communicandas opes pedibus, non habet manus? Qui ſuſtinent gloriam regni, ſunt mendici, inopes, pauperes: confortentur, ne ſint debiles: ſiquidem tota divitiarum machina corruet, ſi tantùm fictiles. *Subſtantia mea in inferioribus terræ*: dicebat Regius Pſaltes. Quæ avaro videntur diſpendia, ſunt regni commoda: etenim inexpugnabile ſtabilitur regnum, ubi nititur ſublevamine inopum.

Daniel. 2. à verſ. 32.

Evaneſcunt opes, ſi ferreum pectus in pauperes.

Pſalm. 138. 15.

Stabilitur regnum ſublevamine inopum.

2 *Capillis terge. Si habes ſuperflua, da pauperibus* (ait Auguſt. Tract. 50. in *Ioann.*) *& Domini pedes terſiſti. Capilli enim ſuperflua corporis videntur. Habes, quod agas de ſuperfluis tuis. Tibi ſuperflua ſunt, ſed Domini pedibus neceſſaria ſunt. Fortè in terra Domini pedes indigent. Superflua veſtra impendiſtis, ſed pedibus meis obſecuti eſtis.* Contemplemur Magdalenæ articulum, ut effulguret undique eleëmoſynæ munus & obſequium. Proximum paſsioni, ut dilectionem æſtuantis pectoris convivis oſtenderet, nardo piſtico pretioſo Magdalene Redemptorem unxit. *Mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi effudit ſuper caput ipſius recumbentis.* Aliter profectò Ioannes: *Unxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis.* Diminuta videtur ab utroque deſcriptio; ſi pedum & capitis perfecta unctio ex nardi unguento pretioſo. Si pedes, vel caput tantùm, quomodò multiplicatur obſequium? Unctio fuit capitis; ſed ita copioſa, ut deſcenderet ad pedes. Accinit Iuvencus lib. 4. de *Evang. Hiſt.* verſ. 413.

Auguſt.

Superflua, pauperibus neceſſaria.

Matth. 26. 7.

Ioann. 12. 3.

——— *Ecce cubanti*
Acceſsit mulier propiùs, frangenſque alabaſtrum,
Quo pretioſa inerant latè fragrantis olivi
Unguenta, ab ſummo perfudit vertice Chriſtum.

Iuvenc.

Pedes Domini dicuntur pauperes, & egeni; quippe ſæpe omninò nudi. Caput capillis ornatur: & dum caput ungitur, uti pluris, pedum unctio etiam refertur; quoniam demonſtrandum uti eximiæ charitatis ſpecimen, pauperum & egenorum cooperire nuditatem. Duplex reſpectus interceſsit in obſequio Magdalenæ, ſignatus in pedum & capitis deſcriptione. Quod ſuper caput, magni habetur: quod in pedibus minimi ducitur: & quod minimi in collocatione unguenti, penditur magni; quippequàm ſuper caput æſtimatione tollitur, quod in pedibus Chriſti liberaliter expenditur.

Magni à Deo habetur, quod pauperi diſtribuitur.

3 Ultrà. Munus amoris decrevit oſtendere Magdalene, & Chriſtus iurè reſpondere muneri, plaudens ex obſequio ſtudium, quo non impendium videbatur, ſed diſpendium. Pedes Domini ſunt pauperes, foti unguento ſublevationis: collocaturque in vertice Chriſti, quicquid in pedes impenſum unguenti; igitur licèt accipiat, quod amor erogat; pluris profectò habet, quicquid generoſa charitas inter pauperes diſtribuit. Pro obſequio neceſſarium unguentum capitis, oblatum ſemper convivis; cuius in domo Simonis leproſi aliquandò defectus, etiam à Chriſto notatus: *Oleo caput meum non unxiſti.* Luc. 7. 46. Unxit Magdalena caput, ſuperfluit unguentum; & unxit etiam pedes dilecti, flagrans ad inopes excellenti charitate, quam Chriſtus ſibi ſuſcepit, & ſummè ex animo habuit: equidem magis, ac magis grata, dum in pauperes, quæ ſuperflua, diſtributa. *Unctio pedum nunquam in*

Pluſquàm ſibi.

Maldon.

in uſu, uti hìc obſervatur à Maldonato. Capitis frequens, pro delicijs accumbentis, atque obſequijs invitantis. Unde Chriſtus facinus inſigne plaudit, dum in pedibus etiam balſama videt; quippe amori cordis flagrantis optabile gratius obſequium, videre ſuperflua deſtinata in uſum pauperum. Hinc illa alabaſtrum fregit, quò in Redemptoris caput balſama condidit: *Fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius.* Superfluum remaneret, ni vas ſtudio fregiſſet. Haud ſuperfluere quibat in pedes, ni extraheretur ex concavo pyxidis: alabaſtrumque frangit; quia fractum potiùs elegit, quàm ſibi retinere ſuperfluum, in uſum, & commodum egenorum neceſſarium. Utile ſibi alabaſtrum, pedibus tantùm unguentum: frangitque pretioſam pyxidem, ut pretioſiorem erga pedes exprimeret charitatem: quandoquidem lucet eximia, inter ſuperflua, & neceſſaria, ſibi nihil reſervare, ut pauperibus poſsit cuncta tribuere. Etſi totis viribus curaſſet extrahere balſama, nequiret ſanè foris educere unguenta: unde inter proprium impendium, & pedum pauperum commodum (ex incluſo liquore, effuſionis difficili) dives allidere meditatur alabaſtrum; ut pauperibus poſſit conferre totum. Reſpondit altè muneri, uncto nardo piſtico Chriſti Redemptoris capite: verùm non reſpondebat amoris obſequio, niſi præ amore pedum fracto alabaſtro: quandoquidem, eſtò ſuperfluum, remanebat ſibi, quod poterat pedibus in ſubſidium erogare: frangitque libenter in amoris obſequium alabaſtrum; ut erga pauperes ſummum demonſtraret obſequium: quandoquidem plenà manu egenis largè præſtabat, quicquid in neceſsitatem, ut ſuperfluum, remanebat.

Marc. 14. 3.

Magna charitas, ubi nõ cogitatur propria neceſsitas.

4 Quid dicent, maximè Eccleſiaſtici, ſolummodò conſulentes avaritiæ? Quicquid pauperum

Abuſus Eccleſiaſticorum.

Protinus ad cenſum? De moribus ultima fiet
Quæſtio. Quot paſcit ſervos, quot poſsidet agri
Iugera, quàm multa magnaque parapſide cœnat?
Quantum quiſque ſua numorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei.

Iuvenal.

Pudeat, dixiſſe Gentilem, *Satyr.* 3. à verſ. 140. Fidei tantum habet? Mentitur: fallit & fallitur. Fidem negavit, dum viſcera occluſit: igitur ſi ſurdeſcit, dum inſtat inopum clamor; eſt infideli deterior. Quorſum opes? Nonne præter neceſſaria, creditores pauperes? Quippini? Ipſorum quæ tua ſunt. Habes in miniſterium, & nihil habes niſi ad uſum neceſſarium. Si non tua, quo iure habes? Redde protinus, quod debes. Retines? Gravaberis. Ne graveris in flammas, ſolve catenas. Audi alium Ethnicum in *Trinum.* Act. 2. ſcen. 2. à verſ. 58.

Quàm parca manus in auxilium pauperum!

De mendico malè meretur, qui ei dat,
Quod edit, aut quod bibat?
Ita te aliorum miſereſcat,
Ne tui alios miſereat.
De magnis divitijs, ſi quid demas;
Plus ſit, an minus?
Civi immunifico quid cantari ſolet?
Quod habes, non habeas, & illud
Quod nunc non habes, habeas malum.

Plaut.

Ecce divitiarum ruina, vel dum avaritia ſignat bona ut neceſſaria: & qui abundant, audent negare ſuperflua?

5 In ficulnea arefacta à Servatore eſuriente, ſignata ſunt viſcera Sacerdotum, expulſa è pectore charitate. *Neque enim aliquid peccavit arbor* (ait Vener. Beda *Homil.* 7. in *Quadrag.*) *quod eſuriente Domino poma non habuit, ſed peccavere Sacerdotes, qui in domo Domini negotia ſæcularia gerebant, & fructum pietatis, quem debuerant, quemque in eis Dominus eſuriebat, ferre ſuperſederant.* Quàm ornata frondibus luxuriabat, aëraque occupans in faſtum folia extendebat! Invitabat maximè eſurientem, ut ex pompa, ac gloria magnum in ſubſidium ſperaret levamen: ſed caruit egenus voto, fraudatus à deſiderio: igitur *cùm veniſſet ad eam, nihil invenit* in tanta oſtentatione *præter folia.* Sufficeret in pietatem, quòd ille accederet: & ſpem dignationis etiam fraudavit; cùm ius eſſet in pauperis eſurientis levamen, opimis fructibus præoccupare venientem. Videant radicitùs arefieri ficulneam, qui frigidè accedunt in Euchariſtiam ſacram: ſiquidem ſignat animæ ariditatem, nullamque pectori inhærere virtutem; dum Chriſtus eſurit, accedit, & nullum fructum in animabus invenit. Ergo in propoſitum.

Bed.

Marc. 11. 13.

Cum fervore accedendum Eucbariſtiæ.

6 In huiuſmodi pompoſa oſtentabunda ficulnea, ſignabatur Sacerdotum divitum crudelium anima. Non illa peccavit; ſed quia adinſtar illius, impietas Sacerdotum deliquit: quandoquidem accipientes à Domino non ſolùm neceſſaria, imò ſuperflua, ut ſibi & alijs deſervirent, bona, fruſtrato beneficentiæ atque communionis fine, pauperes erant deſpectui, irato Domino, quia perpera diſtributio: igitur totum quod debebant in pauperem, expendebant ſolummodo in vanam oſtentationem. Fructus ficulneæ egenti ſervit; ut vitam, vel potiùs, ut mortem lactet, quippe ficus futilis nutritionis, ni ſumatur pro cupedijs, ſeu delicijs.

Quæ fovendus inops, expenditur in faſtus.

Multa-

Matth. 21. 19.

Multaturque illicò perpetuâ ſterilitate, quæ plena fronde; quia iurè ſanctum, etiam perdere radices, negatò auxilio cibi in alimentum pauperis: equidem quicquid ſugebat è terra in nutritionem, nutriebat avida duntaxàt in vanitatem. Areſcunt adinſtar ficulneæ fortunæ Sacerdotum, quia renuunt, ut par eſt, ubi ius, collocare theſaurum: deſtruunturque radicitùs, ubi pauperum deſpectus; quia ægrè fert Dominus, qui fructus dedit in fructus, bona conceſſa erga pauperes, in ſubſidium & clementiam, ſine fructu fovere faſtum & pompam.

7 Fructus pietatis ſatagebat (dicit Beda) in Sacerdote, qui ficulneam multavit perpeti ſterilitate; ut diſcerent Sacerdotes ex ſupplicio, ex fructuum diſtributione in iudicio quanta exactio: igitur ſuccenſet pietas, excandeſcit benignitas, commotâ ſtomachi bile in arboris frondoſæ ruinam, ne ampliùs occupet, quam ſugebat terram; ut caveant Sacerdotes, qui egenos impiè dimittunt inanes: quandoquidem dum pauper quærit, neceſsitas poſcit; viſcera pungit & intimè, Sacerdotes videre ſine pietate. *Nihil invènit præter folia.* Pauper egens in Chriſto præfiguratur: durus Sacerdos, vanuſque in ficulnea deſcribitur: hæcque perit, abnuens quod Chriſtus popoſcit, dum folia & folia glorianter oſtendit; quoniam irritat etiam clementiam & in perpetuam vindictam, totum cenſum glorioſè expendi in ſuperflua, ubi pauperibus deficiunt ad victum vel neceſſaria. Quid cogitandum de huiuſmodi impietate? Quorsùm deſinet? In ſupplicium ſanè ibit: etenim negare fructum, vel expendere in ſuperfluum, & clamante turbâ pauperum; deſciſcit ab homine, qui carne conſtat & ſanguine: neceſsitas urget, pietas movet, cenſus in ſuperflua abundat, egenus ut homo clamat, & non erit homo, ubi pauper prætermittitur quaſi non homo, æger, inops & famelicus ſine ullo humano ſubſidio.

Iram Dei pungit intimè, Sacerdotes videre ſine pietate.

8 Rursùs. Frondibus tantùm totis radicibus incumbebat ficulnea, & Sacerdotes intendebant in negotia ſæcularia. Haud diſcrimen ullum, quandoquidem ficulnea pectoris Sacerdotum erat ſpeculum; quin erubeſcerent fructus negationis eſurie & inopiâ pauperis, neque reſpicerent quorſum conceſſa bona de cœlo: equidem ſine ope eſuriebat homo, dum illis ſuperfluorum abundantia in ſæcularia negotia. Hinc pauperibus & Sacerdotibus labor, quia hos vellicat ſæcularium ſplendor, in quem traducuntur vanitate, ſimiles omninò luxurianti ficulneæ, pauperibus pauperiores egeni divites: quandoquidem non habebant, dum in ſuperflua atque vana largæ expenſæ, quid poſſent conferre pauperi. Folia deſtinantur in protectionem fructus: nec aliter debet operari Sacerdos. Folia ſibi, fructus patet eſurienti: igitur ut ait Paulus: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Sacerdotes & ficulnea, habebant ſanè alimenta, uti in tegmen etiam folia. Ubi fructus? Paſcit ventus, & fraudatur inops: ſiquidem qui in cibos pauperum, plauſus & plauſus viridantium foliorum. Sumit ſibi ficulnea è terra alimentum, merſis radicibus, ornatur venuſtè frondibus; quippe ſi aliquod Sacerdotibus commodum, duntaxàt in alimentum & ſtatus ornatum: cætera minimè ſibi, ſed propinquanti eſurienti: malediciturque ficulnea, habens tantùm folia & folia; quoniam ſine fructu in pauperem, ob alimenti & ornatus glorioſam oſtentationem.

Ex pomposi tate vana oritur inopia.

1. Tim. 6. 8.

Et evaneſcit clementia.

9 Ulteriùs. Diſcere quibant improbi Sacerdotes, ſolùm habere cibum propter cibum eſurientium, neque plus ſibi ſumere, quàm neceſſe, atque denique in ficulnea, quo modo danda eleemoſyna: quandoquidem propter eleemoſynam Sacerdotum ornatus, uti folia propter fructus. Patet ſymbolum in propudium Sacerdotum: ſiquidem habens ſibi alimentum, ornatum cunctum dimittit, ſi fructum, quem det, non habet. Quid ornatus, ubi nullus fructus? Etiam folia ſunt ſuperflua, ubi fructus eſt inopia: receditque haud mœſtus pauper, quantumvis indigens; igitur ſi non invenit eleemoſynæ fructum, etiam in ornatum ſuperfluum in ficulnea neque folium. Secùs recedit triſtis, ruptis viſceribus, quia viſcera ferrea, oculis udis & languentibus præ inopia: igitur videt fructus ſibi conceſſos in proprietatem, expendi in folia, menſæ, atque cultus ſuperbam oſtentationem. Alio etiam acumine conſiderandum, cur in ficulnea impietas Sacerdotum expreſſa? Ficus eſt bifera, quia fructu potitur gemino; verùm unico è folijs veſtitu, in normam eleemoſynam largientis, atque in encomium pietatis: ſiquidem largè fructum confert in uſum inopum, & ſibi pro ornatu ſumit ſolummodò neceſſarium. Homines videntur quaſi arbores, ſed in ficulnea deſcribuntur Sacerdotes. Cæteræ, ut cæteri, fructum afferunt, verùm priùs frondibus ſeſe veſtiunt: & non in his, ſed in ficu deſignantur Sacerdotes, ut contemplentur miniſteria pietatis: quæ quidem maxima cordis, ubi ſibi unicus ſpectatur ornatus, eſurientis duplex fructus. Cæteræ arbores, uti cæteri homines, priùs florem, quàm fructum præ ſe ferunt. Secùs ficus, oſtendit duplicem pro floribus fructum. Sacerdos igitur hoccine hieroglyphico claret: ficus enim non florebit: quandoquidem cùm opponantur ſæculi vanitas, atque in pauperes liberalis generoſitas; nullus fructus diſtribui quibit in pauperes, ubi ſuperfluè expenduntur in flores.

Unà ſunt pauperum deſpectus & ſplẽdoris luxus.

Cur in ficulnea Sacerdotis ſymbola?

10 Deindè. Notantur in ficulnea maledicta, qui Sacerdotes gerebant ſæcularia negotia: igitur ex fructu duplici, nec unus cedebat pauperi, quoniam propter foliorum nutantium crepitum, fructus uterque nutriebatur in ambitum. In ficulnea ante maledictionem, demonſtrantur qui exercent anxiè pietatem. In reliquis arborum fructus egrediuntur ex entitate florum. In ficulnea ècontra, fructus ſunt fructuum ſupervenientium ſpecimina. In reliquis, flos ex ſe, fructus ex flore. In hac, ex fructu fructus, ut cogitet pro eleëmoſyna Sacerdos, foveri abundanter pauperes, ubi nullus prodigitur ſuccus in ſæculi flores: tuncque amplius habebit in elargitionem eleemoſynæ, ſi non habet unde, neque ex flore. Videtur ſine floribus arboris devenuſtas, ſed ſpecioſior lucet, quoniam cordis floret pietas. Videtur (ab avaritia cavetur) inopia, & ſine floribus vernat florum abundantia: igitur qui debebat ex flore, è fructu fructus egreditur; quia expenſus in pauperes, ut expendatur ampliùs, multiplicatur. At hoc infrà.

Fructus erit abundantia ubi foliorũ inopia.

11 Non habet locum excuſatio: *Non enim erat tempus ficorum.* Habebat folia in oſtentationis cultum. Fructus non habet, & frondibus floret? Iuſtè à Chriſto devovetur: iurè etiam folijs privatur, poſcenti & eſurienti non habens fructus: ſiquidem Sacerdotibus foliatis ſemper eſt tempus; quippequàm haberent, unde pauperi abundanter tribuatur, modò de ſuperfluis folijs aliquid ſubſtraheretur. *Non ſunt ficus in ficulnea:* ait Propheta. Latet cauſa? An quia habebat plura folia? Congruum ſanè, quòd premeret ſterilitas, quoniam gravabat pompoſitas. Ramus

Ibid.

Ierem. 8. 13

——*Vi victus & ipſo*
Pondere defecit.

Virgil.

Dicam ex Ethnico lib. 12. *Æneid.* verſ. 254. Fructuum evanuit fœcundiſsima abundantia, quia frondium & frondium copia, ficulneâ pereunte, & etiam paupere, qui abundè ſatiaretur, ni ſuperfluis nimis ornaretur arbos: cuius ſtragem cernere debet Sacerdos, ne illi deſint neceſſaria, ubi intendit ſæcularis in ſuperflua: ſiquidem dum detrahitur de humore vano foliorum, magis ac magis fructificat in pauperum alimentum.

Abundat pauperum alimentũ ex ſubtractione foliorum.

12 Multum fructum affert, ſi ſibi detrahit, quod vel ſibi congruit. Ficus Cypria (inquit Plin. *lib.* 13. *cap.* 7. ex quo N. Berchorius in *Reduct.* lib. 12. cap. 55. & Anglicus de *Propr. rer.* lib. 17. cap. 61.) *in caudice ipſo fert pomum, & ramis, cùm in craſſitudinem adolevere: ſed hæc germina mittit ſine ullis folijs. Fructus quaternos fundit: toties & germinat.* Vividè exprimitur in huiuſmodi ficulnea eleemoſynæ ubertas, elargientis commoditas, beneficentiæ opportunitas; ſi abſiſtat vanitas: igitur quoties fructus inſtar Cypriæ ficus manus generoſa donat; haud ſterileſcit, ſed toties germinat. Quaternos fructus fundit, dum munus munere exhaurit, ut commendetur pietas in inopes, vel ſaltem intuitu ampliori utilitatis: etenim quò magis fert, magis affert; & plus affert, quia plus offert. Nuſquam ſine fructu apparet: nunquàm accedens egenus mœret: ſiquidem in ſolatium eſurientium ſemper eſt tempus ficorum. Cæterùm quomodò ſemper? Caudicem & etiam ramos diminutione fœcundat, atque largitione ubertat. Verùm unde? Pio pectori nunquàm deficit, maximè ſi ſibi de ſuperfluitate ſubtrahit. Videris: *Hæc germina mittit ſine ullis folijs.* Ecce cauſa, unde ex Eccleſiaſticis ferax, mirabilis eleemoſyna. Folijs vernantibus non ſunt ficus in ficulnea; ſed vanitas vanitatum, atque clamores inopum: in quos profectò non tantùm binus fructus ſuppeteret, ſed quaternus; ſi ſtudioſè adimeretur foliorum viridantium luxus & plauſus.

Feracitas ficus Cypriæ.

Plin.

Plures fructus affert, qui plus pauperibus offert.

13 Perpende Servatoris N. tractum, & ficulneæ articulum. *Cùm vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit, ſi quid fortè inveniret in ea.* Ita videtur pauper cogitabundus de auxilio, Eccleſiaſtico conſpecto; â quo recedit repulſus, ut magis ſine ſpe eſuriat: quin recogitetur corde, quantum Eccleſiaſticum dedeceat, oſtendi apprimè frondibus floridè ornatum, & famelico accedenti miniſtrare nec teruntium. Longè Chriſtus aſpexit, atque neceſsitas uſque ad locum adduxit; ſed famelicus uti acceſſerat, receſsit. Quis non præcogitaret fructum in ſaturitatem, videns & à longè tantam foliorum oſtentationem? Chriſtus Dominus, qui in frondoſitate ficus præcognoverat Sacerdotum credule pectus. Vidit ficulneam à longè frondentem, recogitans *Si quid fortè.* Antequàm accedat dubitat, imò auxilium non expectat. *Fortè* erit, *fortè* non erit. Nequaquàm, quanvis ſit: ſi ſit, eſt fortè: & ambigit iurè, quippequàm Eccleſiaſticis nullus fructus, nulla in famelicos pie-

Matc. ubi ſupr.

I vitat pauperem vana oſtentatio; ſed fraudatur deſiderio.

pietas, ubi in folia expenduntur proventus, in vanitates & inſanias falſas. Confert Dominus, ut ſit pietas cum ſufficientia; & participent pauperes collata de cœlo dona; diviteſque theſaurizent in cœlis, tranſportatis muneribus per manus pauperis. Verùm ut ficulnea ſtudent cultui, & pauperum oblivioni: dubitante Chriſto ſubſidium, dum vel à longè vidit luxuriem frondium: quandoquidem fructum minimè impendet in cibum pauperis, dum negatur in obſequium munerum largitoris, tunc præ fame accedentis & pereuntis.

14 Quid tunc Dominus? Dixit ei: *Iam non ampliùs ex te fructum quiſquam manducet.* Quàm pius! Quàm miſericors!

Ibid. v. 14.

Ovid.

Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes
Cœpere, ac longi pallorem ducere rami.

Dixit aliò Profanus lib. 8. *Met.* fab. 11. verſ. 14. & propoſito Iuvencus lib. 3. *Evang. Hiſt.* à verſ. 658.

Arboris attrectat ramos, ſed nulla facultas
Pomorum, ſterili frondis concreverat umbra.

Iuvenc.

Olli Chriſtus ait: Non ſit tibi fructibus unquàm
Copia promendis: tunc protinus aruit arbos.

Sic manſit, ſicut ſteterat. Nulli profuit, & ſibi aruit; igitur cæteris iam aruerat, quæ nulli vel famelico cibum præſtiterat. Umbra foliorum elucebat magna, cæterùm pauperi nulla: Chriſtuſque immutavit ſpecimen, ut cognoſcerent omnes internam ariditatem. Pro ſigno, ut ſciret Ulyſſes, ubi Charybdis in fugam, ne raperet navem; Circe demonſtravit caprificum florentem. In ſcopulo, ait *Homerus Odyſ.* 12. verſ. 102.

Avarus ſteriliſcit, dum fructus habet.

Homer.

Caprificus eſt ingens, folijs florens,
Sub hoc Charybdis abſorbet aquam.

Fructus caprifici nunquam matureſcit, quia ſugunt humorem folia, & ſolummodò rutilat apparentia; ut decipiatur eſurientis aviditas, dum quærit eſcas: aptèque in ſignum monſtri, ſolùm folijs ornata oſtenditur caprificus; ut innoteſcat, quid erga pauperes avarum hoſtile pectus: igitur qui viderit ſine fructu frondibus vanitatis follicatum, profectò videbit monſtrum, quod cuncta abſorbet in oſtentationem vanitatis, folijs & folijs, inſignibus ariditatis interioris pectoris.

Cur adinſtar caprifici?

15 Iam igitur contemplemur Domini ultoris ſententiam, ut reſipiant, qui viderint ficulneam aridam. *Iam non ampliùs ex te fructum quiſquam manducet.* En maledictionem plenam. Sanè, verùm quid ad illam? Areſcit. Non hoc, qui ulciſcitur dixit; ſed nequis manducet ex illa fructum. Eundem profectò habet ſententia ſenſum: quandoquidem cùm bona dentur, ut in pauperes opportunè diſtribuantur; ſi à divitibus nihil accipiunt, modò eſuriant, opulentia atque divitiæ, neceſſarium, quòd areſcant. Intuitus conceſsionis ex ſupplicio claret. *Non ex te fructum quiſquam manducet.* Minimè pauperibus indicitur nocumentum, ſed tantùm indicatur divitiarum exterminium; dum caret alimentum, in propriam ex ſubſtantia nutritionem, quæ tot fructus ſine fructu nutriebat in vanitatem: diciturque ut illa ſterilis perſeveret, nec ex illa quiſquàm manducet; quia ſolummodò ex fame inopum, ſterilitas quit provenire divitiarum. Nequis manducet: & ſterileſcit. Quippini? Divitiæ dantur, ut dentur: habentur, ut non habeantur. Unde ficulnea pompoſa areſcens, nec ſibi habuit, quia nihil tribuit. Intimiùs. Poterat ficulnea copioſo abundare fructu, quin manducaret homo. Non multatur hominis inopia, ſed arboris avaritia. Hinc, ut refert Matthæus, vox Iudicis fulminat: *Nunquàm ex te naſcatur fructus inſempiternum.* Quid quod ex illa nullus manducet mortalium? Totum pietatis propoſitum. In pauperum ſublevamen Deus ditat fortunis hominem, cuius inſigne in ficulnea: notaturque pauperis eſurientis duntaxat eſca; quia in divitibus idem debet eſſe habere, ac pauperes manducare: quandoquidem peſsimum, habere plura pro fructibus; & non habere pauperibus. Breviùs & vigilantiùs vernaculè: *Porque es mui malo tener, y no tener para dàr.* Habent, verùm quorſum ſic? Qui habent, quaſi non habentes ſunt: quoniam malum nutrire fructus (ſi ſunt aliquid ex vanitate faſtus) in eſcas corvorum, quàm in cibum pauperum eſurientium. Adinſtar caprifici, cuncta ſubſtantia trahitur in folia, oſtentatione vanâ: igitur fructus habent, ſi habent fructus, ut habeant: vel habent, ut computreſcant.

Ex fame inopum ſterilitas provenit divitiarum.

Matth. 21. 19.

Peſsimum habere plura pro fructibus, & non habere pauperibus.

16 Adhuc in ſententia latet aliquid magnum. Ne fructus ulteriùs ferat, ut telum in ficulneam Dominus fulminat. An clementia, vel vindicta? In vindicta ſanè ſpectabilis clementia. Titulo fructus, ut eſurientibus exhiberet, copiam foliorum nutrivit, ut aëra frondibus, ſicut terram occuparet radicibus: multaturque à clementia aridâ ſterilitate; quia munus ſingulare clementiæ, bona ſubtrahere à poteſtate & cupidine divitis, quæ expendenda duntaxàt in oſtentationem vanitatis, vel vanitatem futilis oſtentationis. Ecce gratia, ſed in eius ſubtractione volvitur acris vindicta, pro denegata eleëmoſyna.

Quàm magna Dei gratia ſubtrahere dona?

Magna amoris demonſtratio, quòd conferatur à Deo, quo ſublevetur paupertas, fulgeat benignitas, ac exerceatur charitas; quia muneratur ut proprium, quòd ſolummodò aſcititium, creditum tantum ad uſum. Floridè Mar. Victor lib. 1. *Geneſ.* verſ. 328.

—Pro quanta Dei indulgentia magni eſt.

Mar. Vict.

Noſtræ laudis opus fieri, quod ſpontè benigna
Largitor famulis noſtri cupit eſſe laboris.
Et ſe, quod donat, mavult debere videri.

Dat, ut demus, ut noſtra ſit gloria, cùm ab illo ſit gratia: ut noſtrum ſit eleëmoſynæ præmium, dum ab illo procedat beneficium. Ex munere in pauperes magna munera, beatitudine haud minora; ficulneamque frondoſam, ac famelico vacuam reddit Dominus ſterilem, ſeſe oſtendens denegationis vindicem; ut caverent Sacerdotes opulenti, ne punirentur ſimili ſterilitate, Deo commoto in iracundiam, ob eleëmoſynam pauperibus derogatam: quandoquidem nulla maior vindicta hominem manet, quàm illi non concedere, quod pauperi dare poſsit. Noſtrates: *No darle, que pueda dàr.*

Magna vindicta, negare, quo eleemoſyna facienda.

17 Non ſentit abſentiam boni, qui iſthanc pœnam non ſentit: equidem ponderoſior, quò negligitur ut levior. Eleëmoſyna ligat iudicis manus, dum iuſtitiam adciſcit in ultionem ſcelus, ut accidit Zenoni Imperatori, de quo querebatur fœmina extollens voces ad cœlum, ob filiæ ſtuprum, uti refert Ioann. Moſchus in *Prat. ſpirit.* cap. 175. igitur de altari reſponſum matrifamilias: *Dic illi eleëmoſynas ne faciat, & ulciſcar.* Suffocat clamor pauperis clamorem fractæ legis. Sublevant in examine iuſtitiæ pondera criminum quiſquiliæ eleëmoſynarum. Quantum pondus pro gratia, gratiarum pondera! Ita eleëmoſynis redimuntur peccata: ſiquidem liberatur anima à tyrannico pondere iniquitatis, pretio dato ex muneribus in inopes; imò preces pauperum impetrant, ne labatur ex gratia, vel ne præceps offendat in ſcelera. O eleëmoſyna! Unde Dominus ficulneam divitem ſterilitate deſtruit, & illa protinùs aret; ut conſtet vindicta è cœlo, paupere fruſtrato cibo: igitur nulla acerbior, quam negare bona, ut effugiantur peccata; & ſubtrahere munerum privatione, eleëmoſynæ gratiam, quâ fugere poſſunt divites folijs onuſti, tranſgreſſionum pœnam. Quotis umbra arbor Nabuchi? Videris in Daniele: ſed illa ſuccidituur, rami detruncantur, folia excutiuntur, & cuncta evaneſcunt; ne deſerviant luxui, ac glorioſæ oſtentationi, quæ à cœlo conceſſa in commoda regni. Ita ultio, ubi de opulentia nocentiſsima gloriatio: attamen ſumma pietas in ultione, dum dicitur: *Germen radicum eius in terra ſinite.* Affluentia bonorum impulit Nabuchum in tranſgreſſionem legum, ut nulla harum eſſet auctoritas, præter quam daret Imperatoris voluntas. Hinc crimina, hinc ultionis materia, detruncatâ arbore: ſed magna gratia, ut germinet iterùm, illæſâ radice: quandoquidem cùm eleëmoſynæ pretium & pondera ſint in ſtatera iudicij; ingens donum germen radicum in terra, ut poſsint redimi eleëmoſynis peccata. Perſpicua patet iam ultio in ficu, avaritiæ & vanitatis Sacerdotum ſpeculo. Miſerabilis fit, qui non miſereſcit; & areſcit, qui aridos præ fame foliatus ubertate pertranſit. Iuſtitia, ut canit Ovidius ubi ſupr. num. 14.

Eleemoſynæ potentia.

Moſch.

Daniel. 4. 24.

Redemptrix peccatorum.

Ibid. v. 12.

Dari è cœlo in eleemoſynam bona, eximia gratia.

Moliturque genus pœnæ miſerabile, ſi non
Ille ſuis eſſet nulli miſerabilis actis.

Ovid.

18 Conſpicitur modò, cur *non ficus in ficulnea.* Nonne propter folia? Diximus: verùm aliter Propheta. *Folium* (ſubdit) *defluxit.* Quomodò faſtus, ubi foliorum defluxus? Haud eluditur faſtoſitas, imò perſtringitur Sacerdotum vanitas: igitur ita proiecti in huiuſmodi ſtudium, ut ex tanta oſtentatione, in oſtentationem neque eſſet ficus, nec folium. *Folium defluxit.* Unde ſi radix permanſit? Alia rimor. Quia radicibus ornati, permanent ſine radice, & fiunt nonnunquàm ſteriles, quippe opibus abundantes. De ficu Ægyptia, inquit Plinius ubi ſupr. num. 12. *Eſt prædulcis ſine granis interioribus, perquàm fœcundo proventu, ſcalpendo ſaltem ferreis unguibus: aliter non matureſcit.* Grana interna, quoniam in traducem ſeminis, ſunt caro & ſanguis; quæ affectio in Eccleſiaſticis ſummè nocua, depravata ſtudia, eò graviora, quò ſub ſpecie pietatis, ſtrictioris ex charitate iuris, quibus legibus pauperes ficus à dulcedine fraudat, dum fructus latentes caro atque ſanguis revelat. Unde neſcio quis vel olim dixit:

Hier. 8. 13.

Veritas nocet vanitati.

Conditio ficus Ægyptiæ.

Plin.

Caro & ſanguis contradicunt eleemoſynis.

Cùm factor rerum privaret ſemine Clerum,
Ad Satanæ votum ſucceſsit turba nepotum.

Hi in rete ambulant (ait Greg. Mag. lib. 7. in *Iob* cap. 14.) *quos à præſenti ſæculo inchoata iam vitæ perfectio ſolverat, inordinatus amor terrenæ cognationis ligat.* In rete ſanè immittuntur: quippe magis expeditione illigantur. *Incidunt in tentationem & in laqueum diaboli* (qui huiuſmodi affectione *pedibus expandit rete, convertit retrorſum*, ut vigilet *iugum iniquitatum*) *& deſideria*

Greg. Mag.

1. Tim. 6. 9.

Thren. 1. 13. 14.

Quàm cæcus amor!

deria inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Verùm hoc alibi: interim conſuleſis Poſsidon. in *Vit. D. Auguſt.* Baſil. in *Conſt. Monaſtic.* cap. 23. Hieron. in *Ezech.* 46. verſ. 17. & Alap. in *Num.* 27. verſ. 21.

Avaris eleemoſyna videtur plaga.

19 In ſcopum ergo deflectatur calamus. Ungulis ferreis vulneratur ficus, ut proferat fructus. Lamentabile prorsùm, in ſubſidium pauperum quòd ſit neceſſarium ferrum. Ita riget Sacerdotum avaritia, & anima in terrea prona, quæ bona ſumit, ac in carnem & ſanguinem convertit: ſiquidem ita ægrè fructus profert in ſubſidium pauperis, quaſi excarnificaretur ferreis ungulis. Conſcindat egeſtas ſaccum, ut cadat pretium: igitur ut rami fiant alvi, & fructus opimi, nullum planè remedium, quàm decorticare ficum: poma, folium profectò & umbra maior, ſi vulneribus crebris ex illa evacuatur humor. Quid, quem agnovi, utinàm non! Sacerdos in egenos faceret, qui ſubcavatum aridum panem à mure, ut venderet, reſarſit alterius cortice? Quomodò ficus erunt in huiuſmodi ficulnea, ſi nulla folia? Vel folium defluit, quippe nulli affluit; & nihil eſt, quod nihilo ſervit. Sciunt ſanè avari, ſed volunt neſciri avidiùs conſulentes avaritiæ. Parcunt fructibus in articulo neceſsitatis, ampliorem, & urgentiorem neceſsitatem fingentes: verùm cùm venerit illa, adinſtar ficulneæ, nec habent fructus nec folia, quoniam dum pectus avarum, nunquàm eſt tempus ficorum, ſed larva auxilij erga pauperes: unde ſpecie ſublevationis inopis, internâ cordis ariditate, quia mortui profectò à corde, fructus non retinent, ut famelicis faveant; ſed ſolummodò ut ſurripiant.

Summa avari miſeria.

Cogitatione & fictione futuræ neceſsitatis, obliviſcitur præſentis.

Entitas amplioris ſceleris ſub velamine virtutis.

20 Vidimus erga Chriſtum obſequium Magdalenæ: rimemur calliditatem furacis Iudæ: ingens nonnunquàm fac[illegible]ius, ubi in velamen obijcitur virtus. Vi[illegible]t in fœmina hoſpitalitatis ſtudium, & autumavit impendium, procaciterque dixit: *Ut quid perditio iſta unguenti facta eſt?* Perperàm fovebit ex proprio pauperem, qui ex alieno eleëmoſynam arbitratur perditionem. *Iſta perditio.* De iſta doluit, quia magni pretij: & faſtidivit obſequium, quoniam amittebat lucrum: igitur neceſſarium, quòd proditor quereretur de eleëmoſyna, qui ſolummodò ducebatur avaritiâ. *Quare hoc unguentum* (alloquitur) *non vænijt trecentis denarijs, & datum eſt egenis?* Non benè conveniunt ſitibunda pecuniæ ſolicitudo, atque pauperum refectio: & ille proditor & hypocrita, ne notetur avaritiâ, cauſam fingit curæ pauperum, in proprium emolumentum: quandoquidem ſecuriùs inſtruitur machina fraudis, ſpecie nitida, ac velamine virtutis. Tunc Magdalene unguentum generoſa prodegit; ille in neceſsitates reſervare maluit: quod quidem ſtudium eſt propoſitum diabolicum: igitur præſens neceſsitas ob aliam neceſsitatem prætermittitur, & pecunia continuò in loculis retinetur. Potuit unguentum, quia pretioſum, venundari; ſed ab illo pretium pauperi nequibat dari: pecuniam cupiebat (qui miniſterio portabat) quam minimè habere poterat, ni obijceretur oculis cauſa pauperum, ex qua illius avaritiæ cedebat commodum: igitur vacuos præteriret inopes; ni ex ficta cura congereret aliquid utilitatis.

Marc. 14.

Ioann. 12. 5.

Frequens avaritiæ ſtudium, ſub larva ſolicitudinis pauperum.

21 Dixit Evangeliſta: *Non quia de egenis pertinebat ad eum; ſed quia fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat.* Quia fur, pauperibus conſulit? Bracteata clementia oſtendit: ſiquidem tutò nequibat moliri furtum, ni pecuniam haberet titulo pauperum. Perpendendum. *Non quia de egenis pertinebat ad eum.* Ad quem ergo, niſi ad illum, cui portandi miniſterium? Ad alium ſanè videtur devoluta diligentia, & egenorum cura; illeque fur notatur in eleëmoſynis, qui egenis conſulit, quin pertineret de egenis; quoniam profectò furatur, qui in munus, à quo iam remotus, intromittitur. *Non pertinebat.* Non quia ad illum non ſpecta[illegible]t, ſed quia fur muneri non reſpondebat: equidem cùm eſſet pauperum, præter expenſum in Collegium Apoſtolicum; pauperes crudus & crudelis tranſit, quaſi ad illum auxilium non pertineret. *Pertinebat, & non pertinebat.* Pertinebat munere: non pertinebat avidâ furacitate. Quare dum neceſsitas inſtabat in auxilium, non pertinebat ad eum; quoniam quod ille curabat, & maximè ex munere ſatagebat, non erat, ut auxilia inopibus iuxta præſcripta præberet; ſed ut titulo pauperum aliquid vel totum à pauperibus ſurriperet. Ecce neceſsitas propter neceſsitatem neglecta, & perſpicua latrocinia avaritiæ ſtudium, rapacitatis ingenium, philargyriæ cupiditatis embolium.

Ibid. v. 6.

Nanciſcitur furtum titulo pauperum.

Unde dũ cogitatur ſublevãda paupertas, ficta charitas?

Denique avarities.

Ut ait Lucret. lib. 3. de *Rer. nat.* v. 59. Igitur eleëmoſyna elargienda *in charitate non ficta.*

Lucret.

2. Cor. 6. 6.

22 Vidimus parcitatis ſtudium, pietatis ergo conſideremus encomium. *Quod hæc fecit, in memoriam eius:* dicit Chriſtus, avari retundens queſtus. Id eſt, in gloriam & laudem illius fulgurantis amoris, pauperes in pedibus Domini balſami profuſione foventis: equidem nullum maius elogium, quàm in pauperes auxilium. Perditio à fure dicitur, quod in pauperes expenditur: obijciturque à Chriſto memoria cum gloria operis, ut largè foveantur inopes: igitur non tantùm ſumma gloria largienti, auxilium collatum pauperi; ſed memoria æterna, & emolumentum mirabile, inſigne, ex munificentia gratiæ; quæ quidem nequaquàm perditio, ſed lucrum: quippequàm quodcunque expenſum in auxilium pauperum, & charitatis lucet, & impenſarum augmentum. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Id eſt (loquitur cum Epiſcopis & cæteris Eccleſiaſticis) præter ſufficientia in conditionis honorem, cætera expendere debent, quaſi non propria, in pietatem, quin perditionem arbitrentur, dum Eccleſiaſtica, ubi expendenda expenduntur: quandoquidem etſi larga manus provida in egenos, pietas collata non tantùm quæſtus, ſed magnus. Vel Profanus ſuccinit *lib. 5. Epigr. 43.*

Matth. 26. 13.

Nullũ maius encomiũ quã in pauperes auxilium.

1. Tim. 6. 6.

Et etiam emolumentum.

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Martial.

23 Perſcrutemur in contextu quomodò donatæ permanent. Scitur ſanè vel ex Ethnicis non haberi habitas, ut expenſas donet prodiga pietas: igitur nanciſcitur permanentiam, quicquid eſt extra fortunam. *Interrogatus Alexander* (ut ait Plutarch. in eius *vit.*) *ubi haberet theſauros? reſpondit: Apud amicos.* Sanè benè collocati, ſed non optimè. Aptiùs & tutiùs collocaſſet apud pauperes. Signatur à Chriſto collocatio: *Da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Simile quid refert Seneca lib. 6. de *Benef.* cap. 3. de Mar. Antonio. *Cùm fortunam ſuam tranſeuntem aliò videbat, & ſibi nihil relictum præter ius mortis; Hoc, inquit, habeo, quodcunque dedi. O quantum habere potuit, ſi voluiſſet! Hæ ſunt divitiæ certæ, in quacunque ſortis humanæ levitate, uno loco permanſuræ ::: conſule ergo rebus tuis, & certam tibi earum, atque inexpugnabilem poſſeſsionem para; honeſtiores illas non ſolum, ſed tutiores facturus. Illud quod ſuſpicis, quo te divitem ac potentem putas, quandiù poſsides, ſub nomine ſordido iacet. Nummi ſunt: cùm donaſti, beneficium eſt.* Vide optima apud Cœl. Rhodig. *lib. 20. cap.* 24. & 25. Ita divitiæ habentur; & habitæ non habentur, quia non proſunt. Quinimò ut ſignat Horat. *lib. 1. Epiſt. 2.* verſ. 56.

Divitiæ quę dantur, habentur.

Plutarch.

Mat. 19. 21.

Cur ita veræ divitiæ?

Senec.

Semper avarus eget.

Horat.

24 Ergo in contextum promiſſum. Unxit Magdalene, ut vidimus, Domini caput: unxit & pedes. Caput balſamo roravit, ſed non abſterſit. Etiam oblinivit pedes, quos unctos abſterſit & capillis. *Unxit pedes Ieſu, & exterſit pedes eius capillis ſuis.* Capilli ſunt corporis ſuperflua, ſed Domini pedibus ſunt profectò neceſſaria. Impenſum eſt auxilium, & à largiente quaſi nihil expenſum: equidem quod in pedes prodegit, ſibi tenaciùs retinuit. Unguentum pretioſum crinem nutrit, firmat, & ut ait Plinius *lib. 23. cap. 4. Capillum fertili natura evocat.* Perditionem vocabat diſcipulus proditor & avarus; quia eleëmoſynæ ignorabat intuitus: quandoquidem ſi pedes pauperes & egeni, unguentum munera, gratiæ, eleëmoſynæ; nihil amittitur ſumptibus, fotis inopibus: quippequàm quod dat manus, fugit capillus, & minimè etiam ſuperfluis derogat, quod largitione multiplicat. Haud timor diſpendij animum adoriatur deparcum, ſi ſit etiam in inopes ſuperfluorum diſpendium. Dantur capilli, ſed firmantur. Dantur capilli, ſed unctione creſcunt; ut largè ſtudeant eleëmoſynis, qui abundant, uti capillis, ſuperfluis: igitur ſi defluxus capillorum ex eleëmoſynis timeant; in defluxu divitiarum ineſt remedium, ne defluant. Magdalene dedit neceſſaria in obſequium, ſuperflua in lucrum: etenim ſi balſamo pedibus indigentibus dedit, dum capillis abſterſit, ſibi ſumpſit. Fruſtrà timet, qui divitijs parcit, conſiderato emolumento eleëmoſynæ, & acquiſitâ ex illarum dimiſsione proprietate: ſiquidem ſi adinſtar capillorum ſunt ſuperflua, in pauperes diſtributa; manent in gloriam ſine diſpendio diſpendia: quoniam balſami effuſione, quiqui effuſi retinentur; & creſcentes unctione multiplicantur. Aptè in capillis eleëmoſynæ ſymbola, & optata munerum incrementa: igitur ſi è radice charitatis; eleëmoſynæ expenſis germinant crines.

Ioan. 12. 3.

Quicquid in inopes diſtributũ, retentum.

Plin.

Imò auctũ.

Sine diſpendio diſpendia, & glorioſa.

25 Iam ergo habes, quid faciendum de ſuperfluis tuis. Si nihil facis, ſunt ſuperflua & inutilia, caputque gravant. Si collocas, animam levant, cuius ſumma perfectio, quòd ſit ſine capillitio. Unde qui perfectionis ſatagit, & animæ puritatem inquirit; cuncta diſtribuat in uſus pauperum, ne quid ſuperfluum. In themate præſentis illuſtrati pleönaſmi, elucebit averſio vel adhæſio ad amuſsim inſtituti. *Vir de cuius capite capilli fluunt, calvus & mundus eſt.* Etiam prurigine lepræ defluunt capilli, & homines calvi; quo igitur pacto calvus iudicandus mundus, ſi calvus etiam leproſus? In tropologiam dubium devolvatur, ut intentum medullitùs enucleëtur. Capilli ſuperflua deſignant bona, hæccine caduca, terrena, quibus homines in mundo degunt, ſeu miſerrimè moriuntur. Nudi vivunt, quia capilli de-

Levit. 13. 40.

Summa perfectio Eccleſiaſticis, carere ſuperfluis.

defluunt: cur ergo ſi ex defluxu capillorum, ſuperfluarum divitiarum, uterque calvus, uter ſolummodò mundus? Quia unus ſuperfluis caret ob lepram peccati, & alter propter exhibitionem eleëmoſynæ. Deſcribitur diſcrimen inter ſequentem vanitatem, & virtutis perfectionem: illeque dicitur calvus, ſed non mundus; quoniam bona cuncta temporalia, uti alter prodigus, leprâ conſumpſit in vitia: hicque ſignatur mundus, & ex calvitie perfectus; quoniam perfectio ex calvitie, ſuperfluorum profuſione: igitur cuncta bona in indigentium proventus, quin ad ſuperflua nutrienda remaneret vel capillus.

Ezech. 44. 20.

26 Perpende leges. *Tondentes attondent capita ſua*: dicitur ab Ezechiele de Sacerdotibus: de homine conſecrato Nazaræatus ritibus: *Radetur ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ: tolletque capillos eius, & ponet ſuper ignem.*

Num. 6. 18.

Videtur in illis Sacerdotibus obijci, quod his temporibus lamentabile, lethali leprâ avaritiæ: igitur ſi capillitium eſt divitiarum ſuperfluum, quod expendi debet in auxilium egenorum; iuxta genium tenacem, qui dat omnibus affluenter, de parcis diſponit legem, quaſi de ſuperfluis ſatis fiant, modò tondentes attondeant. Obſerva ſtylum. *Tondentes attondent.* Id eſt, voluntariè faciant capillorum tonſuram, ad exercendam cum pauperibus clementiam: igitur cùm tenax animus ſervet etiam vel abijciendos capillos; ex invitis non manat eleëmoſyna, quaſi ſuperflua tondentes ritè ſecarent, ſed quaſi raptim, & revolutim evellerent. Demonſtratum olim, dum per pilum ſectum ſignata mors, uti fusè vidimus in *Expoſ. Liter.* à num. 25. & inquit Ovidius lib. 1. de *Remed.* verſ. 67.

Capillos radant, non tantùm tondeant.

Cur capillis ſignata mors?

Impia ſi noſtros legiſſet Scylla libellos,
Hæſiſſet capiti purpura Niſe tuo.

Ovid.

Signum apparet debile, ſicut parva momenta pili; & maximum deſtinabile morti: cohærentque aptiſsimè diſita ſine violentia, regnante in cordibus avaritiâ: ſiquidem idem tondere è ſuperfluis crinem, ac devoveri in crudeliſsimam mortem: dare pilum, extorquere animum; & animam ſanè evellere, è ſuperfluis levem eleëmoſynam largiri.

Aviditas avari quanta!

27 Clareat examen in eo qui eleëmoſynam appellavit perditionem. Magiſtrum inimicis tradidit, pecuniam illis retulit, ſed *proiectis argenteis in templo, receſsit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.* Pœnitentiâ ductus facinoris execrabilis, abdicavit ſe pecunijs. Si deſperatus ſceleris magnitudine, elegit ſeſe ſuſpendere; quid ad lubricum gulæ laqueum, ſecum non portare argentum? Dum Evangeliſta ita ſtrictim articulum notat, avaritiæ operationes oſtentat. Fur erat & latro, inhians avidiſsimè lucro. Pecuniam motricem ſceleris, ſceleris cognitione proiecit: poſt proiectionem avarus in laqueum abijt: igitur cùm argentum æſtimet pluſquàm halitum vitalem; neceſſarium, illo amiſſo, eligere ſuſpenſionem. Accinit Iuvencus lib. 4. *Evang. Hiſt.* verſ. 631.

Matth. 27. 5.

Amiſſa pecunia ſuſpenditur & rumpitur.

Argentum & culpans ſacram proiecit in ædem.
Exoſuſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Iuvenc.

Hic eſt avaritiæ fructus, quin exemplo reſipiſcat avarus: quandoquidem cùm perditionem arbitrentur, quæcumque ſuperfluorum in pauperes diſtribuuntur; priùs eligent ſuſpendium, quàm dare inopibus pilum. Tondebunt minimè, ſi habentur capilli maximi: ſiquidem adinſtar Iudæ, ſeſe propter pecuniam ſuſpendunt, & illa amiſsâ rumpuntur. Hiſpanicè: *Por el dinero ſe aborcan, y ſi le pierden, rebientan.*

Iudicio tali permiſit membra furori
Aëris in medio ::: Viſcera rupta cadunt.

Arat.

Ut canit Arator lib. 1. in *Act. Apoſt.* v. 88.

28 Revertamur ad leges. *Tondentes attondent*: Nazaræi cæterùm radent. Lex prima de Sacerdotibus, & etiam de ſubveniendo pauperibus: diciturque tonſura attondendos capillos, ut conſideret Sacerdos, ſibi reſervari ſuperflua in ſplendorem ſtatus, ſed non in luxus: *Tondentes attondent.* Vividè. Eſtò in ſummam gloriam, parvo ſanè conſtat eleëmoſynæ gratia; cùm dentur tantùm capillorum extrema, quorum inſenſibile putamen, in ſecantium omninò cedit decorem. *Tondentes attondent.* Ex tonſura creſcet erga plures exuberans eleëmoſyna: igitur tonſis de ſplendore in faſtus futiles ſumptibus, plus ſuperfluorum remanebit pauperibus. *Tondentes attondent*: qui ex voto, radent. Aliter ex voto, aliter ex officio: tuncque exactè officium Sacerdotes implebunt, ſi raſerint, quaſi qui fecerunt votum: ſiquidem in propriæ ſubſidium neceſsitatis, ſufficiunt ſanè capillorum radices. Sic officio reſpondebit, qui egenorum curæ conſulit: quandoquidem cùm ex ſuperfluis ad vitam ſciſsis, fiat abundantia in ſublevamina pauperis; non plus habebit habens, qui ſecando totonderit, ſed qui ſuperflua tondendo ſecuerit. Conſecratus Domino ſuperflua radit uſque radices. Quid namque propius Domino, quàm anima Sacerdotis, qui altari ſervit, & de altari comedit, relinquens reliquias parvulis, id eſt, egenis? Tunc tondetur,

Aliquid reſervetur pro ſtatu, non pro luxu.

Ex ſuperfluis reciſsis auxiliũ pauperis.

vel tunc raditur. Bonus, ſi tonſus: melior, ſi raſus: cæterùm ſi calvus, mundus; quippequàm ſi dum capillus defluit, perfectio virtutis patet; omninò lucet, ubi propter, etiam præter uſus pauperum, in Sacerdote nihil videtur ſuperfluum.

Et perfectio Sacerdotiũ, ne quid ſuperfluum.

29 Quid Sacerdos bonis fortunæ oppletus, ſed intonſus? Apparet utique ſine corona, quæ reſultat ex ſuperfluorum tonſura. An gloria faſtus? An gratia luxus? Hæc vana gloria & amentia. *Siquis inſigniter inſaniret, cæſariem Deorum alicui conſecrabat*: ait Lævin. Torrentius in *Od.* 10. lib. 4. *Horat.* num. 4. uti diximus in *Liter.* num. 19. Quoties Eccleſiaſticis inſania venit ex coma? Prompta ſuppetit protrepticis ac veſanis medicina: ſecent ſuperflua: etenim ſibi ſervare in vanitatem, nutrire in oſtentationem cum oblivione pauperis, non ſolùm eſt inſania, ſed inſignis. Si cogitatur ſtatus, gravat capillus, iacet ægrotus, imò laborat inſanus: igitur qui cincinnatum viderit Sacerdotem, ſpecie Sacerdotis conſiderabit amentem, rationis impotem. Quodnam delirium maius, quàm, quia ſuperflua, expendere in ampliſsima palatia? Scalam firmis gradibus conſtruere poſſunt uſque in Olympum ſurſum, & ædificant deorſum? Scribuntur in terra, cùm ſcribi poſsint in cœlis nomina? O inſenſati! Quis vos faſcinavit? Quis mentem traduxit? Iudicatis (uti Marc. Craſſus apud Cœl. Rhodig. *lib.* 20. *cap.* 25.) egenum, ac nudum, qui nequit cenſu domeſtico ubertim alere exercitum? Quò itura mens? Quo cogitatio ſine mente itura? *Colligite quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant*: igitur pauperes pereunt, qui abſque ſuperfluis laborant; dum intonſi detrahunt eleëmoſynam, ſed tendentes in inſaniam. Quomodò hi in obſequia radent, ſi nunquàm tondent? Priùs eligunt eſſe ſine corona, quàm ſine pecunia, quam retinet in perpetuum diffuſa charitas; igitur Sacerdotes in cœlis *mittebant coronas ſuas.*

In Sacerdote avaritia eſt amentia & magna.

Marc. Craſſi divitiæ.

Cœl. Rhodig.

Ioan. 6. 12.

Apoc. 4. 10.

30 Alij ſuperflua deponunt, non tantùm tondent, ſed radunt: cæterùm pauperes fiunt, & apparent turpiter calvi; quia defluunt capilli putredine lepræ. Animus conſiderandus eſt & collocatio etiam, ut laudi operatio ſit. Pende legem. Nazaræus *radetur cæſarie: tollet capillos, & ponet ſuper ignem.* Poſt raſitationem duplex ritus præſcribitur: capillorum ſcilicèt depoſitio, & ſuper ignem oblatio. Non ſufficit raſitare ſuperfluum, ſi rectum refugit uſum; quia dirigi poteſt versùs mundi oſtentationem, & etiam versùs cordis charitatem, anxiè foventem pauperes ex ſuperfluis, velut ex raſis capillis: additurque meditanter oblatio, ubi indicta capillorum depoſitio; quoniam non magni habentur, dum deponuntur, ſed dum ſacrantur. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*, quippe non vobis: *theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo*; igitur vobis ibi in perpetuum collocatio: quod quidem minimè facile, ni deportentur ab inope. Quò amplius diſtribueritis, magis habebitis. Dirumpuntur profectò catenæ, quas ſuavitate fallaci conſtruunt divitiæ; amentiâ depoſitâ, quia coma ſacrata, atque igne charitatis inter pauperes conſumpta: rutilabitque perfectio, quoniam maxima ex calvitio.

Nu. 6. 18.

Non magni argentum, dum deponitur, ſed dum ſacratur.

Matth. 6. 19. 20.

Atque totũ diſtribuitur.

31 Videamus fabulam, ut exugamus ubere pleno doctrinam.

Si decus eſt falſis aliquod, nomenque tuliſti,
De vacuis magnum rebus, cùm ficta vetuſtis
Carminibus caneret, vel cùm terrena referres
Geſta triumphantum laudans inſignia Regum:

Claudian. Mam.

Ut ait Claudianus Mamer. *cont. vanos Poetas* à verſ. 20. De Hercule fictum, devoratum à ceto immanis magnitudinis, exijſſe *amiſsis capillis capitis*: ita apud Natal. Comit. lib. 8. *Mytholog.* cap. 3. Devorantur ſæpe Eccleſiaſtici à bellua immani avaritiæ, quæ adinſtar ignis, nunquàm dicit: *Sufficit*; adinſtar Tantali, vel in flumine ſitit; adinſtar Tytiæ aquilæ, ſemper eſurit; ubi facilis introitus, verùm difficilis exitus. Vel perituri indeclinabili ruinâ, vel amittenda ſuperflua: unde dum exitus deſcribitur Herculis, ſignatur victoria amiſsis capillis capitis; ut in proprium Eccleſiaſtici propendeant commodum, expendentes ſuperflua divitiarum in inopem: igitur ſolummodò amiſsis capillis, donum obtinetur libertatis; & impendium in egenorum auxilium, uſque in Empyrium habet felicem exitum. Canit. Arator. ubi ſupr. verſ. 799.

Fabula Herculis.

Natal. Comes.

Bellua eſt avaritia: victa ſi dantur ſuperflua.

—— Cœleſtibus inclyta ſignis,
Manſuras fundebat opes, & ſemper egenis
Munere mater erat.

TAU-